



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. An Episcopis potestas suæ jurisdictionis competat immediarè ex jure divino, an verò ex jure humano, & Ecclesiastico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO III.

De Jurisdictione, officio,
& potestate Episcopi

Episcopum (Si confirmatus sit, etiam si nondum sit consecratus) jurisdictionem obtinere in omnes suæ Diœcesis Clericos tam regulares, quam sæculares, nisi exempti sint, & in causis spiritualibus, ac mixtis, etiam in Laicis, certissimi juris est, & clarè patet ex c. 1. h. t. c. cum Episcopus 7. eodem in 6. c. cum sic 8. & c. ex tenore II. de foro competente: dubitantur tamen de hac jurisdictione aliqua: & hinc fit.

§. I.

An Episcopis potestas sua jurisdictionis competat immediatè ex jure Divino, an verò ex jure humano, & Ecclesiastico?

Verissima sententia est, & tam inter Theologos, quam Canonistas hodie communis, quòd, quamvis in genere Episcopale munus seu officium, & illius jurisdictionis ordinaria, sit à Christo immediatè instituta, in quantum tamen in particulari huic vel illi competens consideratur in ordine ad hos vel illos subditos, immediatè sit, & conferatur à Romano Pontifice, tanquam Vicario Christi, & Ecclesiæ capite, prout ex pluribus ac variis tam juris textibus, quam rationibus probari potest, & satis clarè ostendit potestas, quam penes Pontificem esse nemo negat, quæ potest Episcopum suâ jurisdictione privare, ergo tota hæc in specie, & particulari respectu hujus personæ à Pontifice dependet.

§. II.

De duabus legibus, jurisdictionali, & diœcesana, in quibus totum jus, seu officium, & potestas Episcopi consistit.

Deberi multa Episcopis, & posse etiam multa Episcopos vi suæ jurisdictionis ordinariæ, tam ex lege diœcesana, quam ex lege jurisdictionis, certum est: & quamvis de his satis in specie constet, ex c. conquerente 6. h. t. ubi pluribus enumerantur, quæ sint jura Episcopalia, non tantum ab Ecclesiis parochialibus suæ diœcesis, sed etiam à Capellis, sive Ecclesiis, quæ monasteriis unitæ sunt, solvenda & exhibenda (nisi Capellæ tales monasteriis incorporatæ etiam ipsæ exemptæ sint) & in fine Capituli illius subjungatur, his jurebus in prædictis Ecclesiis contemptos esse debere Episcopos, nec amplius exigere aliquid (saltem de jure, quidquid sit de consuetudine, juxta quam non omnia jura, quæ in dicto Capitulo enumerantur, hodie in usu sunt) nisi subsidium moderatum, (quod subsidium charitativum appellatur) juxta formam præscriptam à Latranensi in c. cum Apostolus. de censibus in 6. de his inquam, quamvis satis in specie constet, & de pluribus aliis in sequentibus etiam §. agendum sit, dubitant tamen in genere multi, quænam dicantur ex lege diœcesana deberi, à qua regulariter & ordinariè omnia monasteria exempta habentur (ob favorem religionis, ut varia jura habent) etiam si aliâ jurisdictioni Episcopi subiecta sint, & quænam dicantur ex lege jurisdictionis deberi. Communiter ita dicitur illa regula, ex Gloss. in c. dilectus 18. h. t.